A da facultate in lixiuium deposita. Sed non omnis cinis eâdem temperatura præditus est, sed pro combustæ materiæ diuersitate uariatur. Galenus.

SARMENTORVM CINIS urendi uim habet: cum axungia aût uel oleo illitus, fractis neruis, articulorum collisionibus, & neruorum nodis prodest: cum nitro & aceto excrescentias carnis in scroto reprimit. Serpẽtium canumq; morsibus illitus ex aceto medetur. Crustas obducentibus medicamentis admiscetur. Fit ex eo lixiuiũ contra præcipitationes & fungorũ uenena, cũ aceto, sale & melle. Dioscorides.

CALX cineris quædam species est: fit hoc modo. Marinorum buccinorũ testas igni cõdito, aut feruenti clibano nocte dimittito: postera die, si candidissimæ fuerint, extrahito: sin aliter, iterũ urito, usq; dũ uehemẽter inalbuerint. Dein ubi in aquam frigidam demersæ fuerint, in fictile nouum cõijcito, & exactè pannis operiens, noctem unam conquiescere sinito: mane eam extrahens, ubi perfecto omni opere elaborata fuerit calx, recondito. Fit & è litoralibus calculis igne crematis, nec nõ è uili & fusaneo marmore, & lapide calcario. * Vis omni calci in commune ignea, mordens, adurens, & crustas inducens: quibusdam alijs immista, ut adipi, olei, concoquendi uim assumit, mollit, & dissipat: ulcera ad cicatricẽ perducit. Efficacior existimatur recẽs, nec aspersa aquis. Porrò calx elota, medicamen est, citra morsum desiccans, B magisq; si bis ter ue lauetur. Dioscorides, & Galenus.

DE AERE CAP. II.

- Aer *ad uitam tum conseruandam, tum morbos profligandos maximè est necessarius: tum*
  - Natu-*ralis, qui uel agit sua*
    - Quali-*tate: uel*
      - Prima. *Sic alius*
        - Temperatus: *ut*
          - Orientalis.
          - Occidentalis.
        - Intẽperatus: *ut*
          - Meridionalis.
          - Septentrionalis, *&c.*
      - Secunda. *Sic alius*
        - Rarefacit: *ut* Meridionalis.
        - Cõdensat: *ut* Septentrionalis.
    - Substantia: *ut*
      - Purus, Clarus, Subtilis, *&c.*
      - Impurus, Crassus, Nebulosus, *&c.*
  - Artificialis. *Sic arte conficitur aer*
    - Frigidus.
    - Calidus, *tum ad*
      - Contemperandum.
      - Sudorem eliciendum: *ut* Laconicum, *&c.*

AER tum corporum tum ſpirituum noſtrorum elementum eſt. Eligendus eſt purus, lucidus, nō qui ſtagni, nec paludis halitu eſt perturbatus, nec ex profundo ſpecu peſtilentem auram ſpirat: nec qui ex cloacis, quæ magnam aliquam urbem aut numeroſum exercitum purgant, uitiū cōtraxit: nec qui ex animalium, olerū, leguminūq; putredine aut ſimo coinquinatur: nec qui ob ſtagnū, uel flumen uicinum nebuloſus eſt: nec qui editis undique mōtibus in cauo loco clauſus nullum recipit perflatum: nec qui uicinus eſt aquis, in quibus linum & canabis macerantur: ſed qui purus omnino eſt, temperatis quidem hominibus, & temporibus temperatis, ab oriente, æſtate, & calidioribus temperaturis à ſeptentrione, uel occidente, hyeme uerò & frigidioribus naturis à meridie uel oriente ſpirās. Quòd ſi aliquādo ſua qualitate excedat, uel ſubſtātia uariat, ita ut nobis fuerit aduerſus, frigidus quidem corrigēdus eſt tum ignibus ex quercu uel ſilice, tum aquis, uel decoctis rerum calidarum, uel ſuffumigijs, ex ladano, thure, ſandaraca, ſtyrace, gallia moſchata, &c. Calidus uerò contemperādus, uel folijs ſalicis, uitiū, quercus, florib. roſarum, uiolarum, neunpharis, per cubicula ſtratis: uel aqua roſarum, neunpharis, & aceto & ſantalis: uel aqua & aceto aſperſis. Quòd ſi corruptus uel putris fuerit aer, emundādus eſt tum ignibus maioribus ex quercu, uel lignis iuniperi, uel roriſmarini, uel citri, citonij, uel myrthi, &c. tum ſuffumigijs odoratis, ex citro, iunipero, uel aceto roſaceo, uel caphura, &c.* Cæterùm frigidus aer, cuiuſmodi eſt ſeptētrionalis, cōdenſat, corroborat, indurat, concoctionem iuuat, aerem peſtilentem ſanat. Calidus uerò rarefacit, laxat, poros aperit, humores agitat, ſpiritus reſoluit, ſudorem prouocat, concoctionem impedit, uirtutem deijcit, febres ardentes gignit, &c. Humidus, ut meridionalis, humectat, ſenſus grauat, recidiuationē facit, febres putridas & peſtiferas generat. Siccus cutim exiccat, &c. Hippocrates, Galenus & Auicenna.

BALNEVM aëreum, quod Laconicum, & Calidarium uel Sudatorium uocatur, fit uel à uaporibus calidis & ſiccis ab igne accenſo, ſublatis (Barbaris ſtufa ſicca dictū) uel à uaporibus calidis & humidis, ab herbis in uaſe aliquo decoctis, aut aqua ſupra ignitos lapides reſperſa (ſtufa humida Barbaris appellatū.)* Sordes corporis abſtergit, materias per totum corpus tum cale facit, tum uerò fundit: præterea quæ inæqualia ſunt, æquat, & cutim laxat, & multa quæ detenta ſub hac fuerunt, uacuat, ut meritò ſanè exercitij interdum neglecti uicem ſupplere queat. Fuchſius.

De A-